

Aus dem Briefwechsel G. Kargs.

Von K. Schornbaum.

Die Regierungsbibliothek zu Ansbach verwahrt noch eine ansehnliche Reihe von Briefen aus der Reformationszeit. In den Beiträgen zur bayrischen Kirchengeschichte XVI, 79 ff., XIX, 119 ff., 172 ff. und in den Blättern für Württembergische Kirchengeschichte XIII, 184 ff., XIV, 63 ff., 153 ff. habe ich schon einen Teil davon zum Abdruck gebracht; hier mögen die veröffentlicht werden, welche Viktorin Strigel an Karg schrieb. Es handelt sich dabei um die Satisfaktionslehre Kargs, über die zuletzt Georg Wilke in seiner Arbeit: Georg Karg (Parsimonius), sein Katechismus und sein doppelter Lehrstreit. Erl. Diss. Scheinfeld 1904, gehandelt hat. Zu Viktorin Strigels Auffassung wäre noch J. Döllinger, die Reformation, ihre innere Entwicklung und ihre Wirkungen im Umfang des Lutherischen Bekenntnisses, Regensburg 1848, III, S. 560 zu vergleichen.

I.

Viktorin Strigel an G. Karg.

29. 9. 1564. Leipzig.

S. D. Reverende vir, domine et amice colende. gratae mihi fuerunt literae tuae, quibus et benevolentiam erga me tuam declaras et materiam sermoni litterarum suppeditas. Cum autem nihil minus hominis esse videatur, quam non respondere in amore iis, a quibus provocere, amori tuo, cui caeteris rebus non possum, amore certe respondebo. Has igitur litteras velim existimes foederis habituras esse vim non epistolae meque nihil praetermissurum esse, quod ad amicitiam nostram non modo conservandam, sed etiam au-

gendam spectet. De justificatione hominis coram deo semper ita sensi et docui inde usque ab eo tempore, quo primum Evangelii lucem aspicere coepi: quod utque causa efficiens tanti beneficij sit: misericordia in deo seu deus ipse, ut Paulus loquitur: Deus est qui justificat¹⁾, impulsiva: meritum filii dei, formalis: remissio peccatorum, reconciliatio et imputatio justitiae, instrumentum, quo sit applicatio: fides. Nequaquam igitur inter se pugnant hae formae loquendi: sumus justi coram deo per misericordiam, sola fide sumus justi. justificamur merito Christi, justificamur remissione peccatorum, sed alias de aliis causis loquimur. Quid autem aliqui disputant et querunt, an personali justitia Christi simus justi, de ea quaestione sic respondendum videtur: Filius dei et essentia justus est et habet oboedientiam perfectam. qua se subjecit aeterno patri assumta humana natura et hac obedientia legi satisfacit et solvit $\lambda\epsilon\tau\rho\alpha$ pro nobis. Haec perfecta obedientia mediatoris nobis imputatur et propter eam pronunciamur non rei sed justi deo justificante id est acceptante nos, sicut Paulus inquit, per unius obedientiam multi justificantur²⁾. hanc judico esse simplicem veritatem in articulo justificationis. Sed tamen cupio a te certior fieri in proximis litteris, an scopum tuae quaestitionis attigerim et quid de tota re sentias. Nulla enim ex re majorem voluptatem et fructum uberiorem capio quam ex placida collatione sententiarum. Bene ae feliciter vale Reverende vir et me quod facis ama. Lipsiae die angelorum castorum et deo obedientium 1564.

T. dignitatis studiosissimus
Victorinus Strigelius.

A d r e s s e :

Reverendo et clarissimo viro doctrina, pietate et virtute praestanti D. Joanni Kargio, pastori et superintendenti Onolspacensi vigilantissimo domino et amico suo cum observantia colendo.

¹⁾ Röm. 8, 33.

²⁾ Röm. 5, 19.

II.

Viktorin Strigel an G. Karg.

13. 11. 1564. Leipzig.

S. D. Reverende et clarissime vir! Non dubito te pro excellente pietate et eruditione tua de summa doctrinae seu de fundamento recte sentire, praesertim cum tot annos sanctissimum docendi munus in ecclesia sustinueris. Sed tamen fieri potest, ut in alienius articuli explicatione alius alio dexterius aut incommodius loquatur. Nemo enim in dicendo et scribendo satis circumspectus esse potest. Quare mihi veniam dabis, si libere et candide, ut nostro ordini maxime congruit, te de quibusdam formis loquendi admonuero. Etsi enim non mihi hoc sumo, ut meo judicio plus tribui velim quam tuo, tamen petitioni tuae morem gerendum esse puto teque amanter oro, ut hanc significationem mei erga te studii benigne interpreteris. Intelligo te duplicem constituere justitiam christi: unam activam, alteram passivam seu cruentam, ut tuis verbis utar. quod igitur in thesi 41 affiras, reliquam obedientiam christi mediatoris non imputari neque applicari aliis ad justitiam sed passionem tantum et mortem¹⁾, id parum congruere videtur cum doctrina praeceptoris nostri piae memoriae D. Philippi Melanthonis, qui enarrans caput 8 ad Rom. inquit: Haec persona offert sacrificium id est universam obedientiam suam et humiliationem usque ad resurrectionem, ut poenam pro nobis persolvat²⁾. Et in propositione 64 contra praestigias pontificias³⁾: Christus est redemptor, quia tota ipsius oboedientia in hac visibili conversatione est pretium pro nobis, et prop. 74: Christus ab Esaia nominatur servus id est minister missus ad hanc obedientiam, ut vocem evangelii prolatam ex sinu aeterni patris sonet inter homines

¹⁾ G. Wilke, Georg Karg, 1904. Scheinfeld, S. 52.

²⁾ Corpus Reformatorum XV (Hallae Saxonum 1818), Sp 971, 972.

³⁾ Corpus Ref. 12, 424 (Halle 1812). Propositiones complectentes praecipios Articulos doctrinae coelestis, traditae in schola Witebergensi a D. Philippo Melanthone, ut essent materia disputationum contra praestigias pontificias et multas recentes.

et fiat victima¹⁾). Cum autem aliquoties tuis thesibus intertexantur testimonia Bernardi, facere non possum quin verba ejusdem scriptoris repeatam ex sermone secundo de circumcisione domini: „Merito sane. dum circumciditur puer qui natus est, nobis salvator vocatur, quod videlicet ex hoc jam coeperit operari salutem nostram, immaculatam pro nobis sanguinem fundens. Propter hoc enim circumcisus est, propter quod natus, propter quod passus. Nihil horum propter se. sed omnia propter electos.“ Ex his dietis, quantum ego judicare possum, perspicuum est, non esse reliquam obedientiam a causa justificationis excludendam. Etsi enim in passione Christus vitam suam effudit, ut psalmus 22 et Esajas cap. 53 loquuntur, tamen non est removenda obedientia ejusdem mediatoris in nativitate, in circumcisione in exilio Aegyptio, in baptismo, in deserto denique in tot agonibus, qui passionem antecesserunt, a causa et merito acceptationis nostrae. Sed non instituo aut disputationem aut refutationem tuae sententiae. Tantum te pro amicitia nostra mone, noe nimis subtiliter gradus obedientiae Christi secernas, sed cogites filium dei inde usque ab initio missum esse ad ecclesiam et perpetuo adesse ecclesiae, ad quam mittitur, intercedere pro ecclesia. Ideo enim recipit nos divinitas, quia hic filius est deprecator inde usque ab initio. Sed rursus γλαῦκ' εἰς Ἀρίτας. Quod ad me attinet non defugio judicia virorum doctorum et piorum, qui candorem in judicando exhibent. Bene vale et me quod facis ama.
Lipsiae 13. Novembr. 1564.

R. diginitatis Tuae studiosissimus
Victorinus Strigelius.

A d r e s s e :

Reverendo et Clarissimo viro doctrina pietate et virtute praestanti D. Georgio Kargio gubernanti ecclesias Marchicas in Francia orientali domino et amico suo reverenter colendo.

¹⁾ Corpus Ref 12, 429.

III.

Viktorin Strigel an G. Karg.

18. 3. 1566. Leipzig.

S. D. Reverendo et clarissime vir, domine et amice colende. placet mihi insigne dictum D. Lutheri enarrantis psalmum 130: non docendo sed disputando amittitur veritas¹⁾. Hoc enim malum disputationes secum afferunt, quod animi quasi profanantur et rixis occupati, quae praecipua sunt, negligunt. Etsi igitur invenis maximam voluptatem cepi ex consuetudine disputandi, tamen, quo aetas mea magis ingravescit, eo magis statuo oportere modum esse disputationum presertim cum Paulus dicat, non in sermone sed in virtute regnum dei consistere²⁾. Nam res ipsa ostendit saepe in disputando magis quaeri victoriam quam veritatem. Et legenti patruu scripta apparet, aliter eos in disputatione aliter extra disputationem locutos esse. Nolo autem haec in eam sententiam accipi, quasi simpliciter improbem omnes collationes sententiuarum placidas et equabiles; sed quia experientia testatur, hominum culpa accidere, ut altercando veritas amittatur. Omissis igitur disputationibus teneamus fundementum et deo gratias agamus, si alias alio dexterius partem aliquam fundamenti explicat. Haec breviter de tua epistula respondere volui, teque amanter oro, ut deinceps mihi hoc ingenue parcas. quicquid enim praeterea officii in te aut tuos pro mea tenuitatem conferre potero, id ita praestabo, ut appareat me tui amantissimum esse. Bene vale vir reverende et me quod facis ama. Lipsiae 18. Martii 1566.

Rev. dignitatis Tuae studiosissimus

Victorinus Strigelius.

A d r e s s e :

Reverendo et clarissimo viro doctrina pietate et dignitate praestantissimo D. Georgio Kargio ecclesiarum in ditione Onoltbacensi inspectori supremo Domino et amico suo colendo.

¹⁾ Luthers Werke. Erl. Ausgabe op. exeg. 20, 202 (praelectiones zu den psalm. graduum).

²⁾ 1. Cor. 4, 20.